



16





MEDICATIO ADOLESCENTIS,

à

Rabidi Canis Morfu

# HYDROPHOBI:

QUAM

Deo Opt. Max. auxiliante,

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO

D. HENRICO REGIO,

Reip. Ultrajectinæ Poliatro, & Medicinæ  
ac Botanices Professore Ordinario,

*Publico examini subicit*

CORNELIUS BEEST, Ultraject.

*Ad diem. 9. Julij, horâ 9. matutinâ.*



Naturâ & Industriâ.

TRAJECTI ad RHENUM,

Apud PETRUM DANIELIS SLOOT,

ANNO M. DC. XLV.



*Doctissimo, vigilantissimo, præstanti, eruditio-  
ne multaque experientia clarissimo Viro, ac*

*D O M I N O,*

**D. HENRICO REGIO,  
Medico & Philosopho  
exactissimo, Reipublicæ  
Ultrajectinæ Poliatro,  
Medicinæ ac Botanices  
Profess. dignissimo, præ-  
ceptoris meo meritissimo,  
plurimumque colendo,**

*Hoc exercitium Medicum,*

*Eo quo decet affectu,*

*Dedicat & offert,*

**CORNELIUS BEEST**

MEDICATIO ADOLESCENTIS,

à

Rabidi canis morfu,

HYDROPHOBI.

I.

**A**dolescens, annos natus plus minus septendecim, ruri iter pedes faciens, in digito annulari sinistrae manus à cane rabido, fuit commorsus. Vulnus, quia erat exiguum, nec ulla de caninâ rabie suspicio, brevi à chirurgo fuit consolidatum. Trigesimo à morfu die cœpit de brachii sinistri dolore conqueri, & aquam metuerē. Postero die vinum, cerevisiam, & omnia liquida ac fulgida abhorruit. Tertio die nec sonitum, imo nec nomen liquidorum ferre potens, insigniter febricitavit. Pulsus jam est concitatus; multi adsunt sudores. Mens ipsi in reliquis etiamnum sic satis constat.

II.

*Partes affectæ* hic sunt variæ. Cerebrum, quod ex aquæ & omnium liquidorum metu: Brachium sinistrum, quod ex dolore & cor ac totum corpus, quod ex febris & pulsu concitato ac sudore innotescit,

III.

*Morbus est Hydrophobia, sive intemperies venenata, contagiosa & calida totius corporis, ac præcipue cerebri; aquæ omniumque liquidorum & splendentium timorem inducens. Quod causæ & symptomata testantur.*

IV.

*Causa procatartica* hujus affectus est morsus canis rabidi, qui ægrum nostrum in digito annulari mordicus vulneravit. Hinc

F 2

enim,

enim, per contagium, venenum istud rabiosum ipsi, in digito vulnerato, fuit communicatum. quod, è vulnere per venas ad cor, & hinc in cerebrum & totum reliquum corpus, cum sanguine arterioso, distributum, totum sanguinem paulatim infecit. isq; majorem corruptelam indies contrahens, tandem ad tantam pervenit pravitatem, ut *antecedens* hujus morbi evaserit causa. Sanguis autem ille ad cor delatus, ibique præter naturam incensus, per corpus deinde distributus, & in cerebro in spiritus animales conversus ac perceptionem ibi vitians, *continens* hujus morbi omniumque *symptomatum* est causa.

V.

Nam malignus ille sanguis cor ingressus, ibiq; ob nimiam suam dilatabilitatem, supra naturæ modum excalefactus, & in arterias & venas totius corporis propulsus, febrim, & pulsum concitatum, febris indicem, sudoresque copiosos producit. In cerebro vero in spiritus commutatus, propter peculiarem suæ intemperiei malignitatem, cerebrum ita disponit, ut imago lucis, aquæ & cujusvis aliûs liquoris, sensibus, reminiscentiâ, vel imaginatione percepti, ingratißimum motum ipsi imprimat; atque hinc ex res magnum timorem & horrorem nostro adolescenti incutiant.

VI.

Ita enim à natura facti sumus, ut diversi motus diversas in nobis excitent cogitationes; ut ex frictione laterum & plantæ pedis, titillationem; puncturâ nervi, dolorem: & omnibus reliquis sensibus, per solam motus varietatem, varias sensationum cogitationes in nobis excitantibus, est manifestum. Cum autem omnis motus sive impressionis varietas, vel ab objectis, vel medio, vel sensoriis, vel omnibus simul oriatur, neque hic in objectis liquoribus vel luce, nec in medio, ullum sit vitium, quod per se tales motus producere possit; sequitur motum illum, sive motus istius modificationem, quæ ægro nostro liquorum & lucis timorem incutit, à peculiari temperie sensoriorum, sive spirituum, cerebri, & reliquorum talium organorum, ubi ab his objectis moventur, originem ducere. Hinc

## VII.

Hinc jam patet hydrophobiam non magis esse occultam, quàm est dolor acutus, qui ex nervi punctura; vel scintillatio, quæ ex oculi percussione; vel molesta illa titillatio, quæ ex subita laterali pectoris musculorum, vel plantæ pedis frictione, percipitur. Nam omnia ista proficiscuntur à varia motarum partium temperie (quæ nostro quidem iudicio) non magis in uno, quam in alio, specificè explicari potest.

## VIII.

Atque ex his generaliter maniacorum, phreniticorum, melancholicorum, & aliorum delirantium deliria satis commode, explicari posse videntur. Cum enim ex vario spirituum & cerebri temperamento varii motus, & ex variis motibus variæ oriuntur cogitationes; hinc jam facile intelligimus, si motus eorum secundum naturam fuerint, cogitationes etiam esse sanas; contra vero, ubi illi à convenientibus nostræ naturæ legibus recedunt, esse insanas; &, pro varietatis suæ ratione, varia etiam insaniarum seu deliriorum producere genera.

## IX.

Morbus hic cum sit venenatus, & aquæ aliorumque liquidorum timorem, quibus ægri sitis est mitiganda, jam induxerit; cumque hætenus nulla fere eorum suppetant exempla, in quibus hic morbus, ubi ad aquæ timorem est perventum, remediorum hætenus inventorum ope, sit superatus: Huc accedit, quod ægri in hoc affectu fere nulla assumere velint remedia. Itaque spes hic in angusto est. imo metuendum ne ante mortem in caninam rabiem agatur. Attamen non plane hic deserendus æger. præsertim cum mens ipsi etiamnum constet. quo rationibus eo forsitan poterit adduci, ut formidatis liquoribus in medelam utatur.

## X.

Tentanda igitur *Curatio*, quæ causam antecedentem, & continentem: ac malignam illam venenatamque intemperiem corporis, contrariis remediis impugnabit.

F 3

Mor-

XI.

Primo itaque talis injiciatur clyster:

R. rad. ellebori nigri vnc. s.

fol. malvæ, lactuæ, violariæ, borraginis,

endivia an. m. j.

Hordei vnc. j. prunor. acidor. par. viij.

agarici trochiscati dragm. iij.

Coquantur in jure carniū ad lib. j. s.

Colatura addantur hieræ diacolo cynthidis vnc. j.

ol. violar. vnc. j. s. misce F. Clyster mox injiciendus, & alternis diebus, si alimenta admittat, reiterandus.

Deinde vena brachii aperiatur, & sanguis pro ratione virium educatur.

Postea tale fiat vesicatorium:

R. cantharid. dragm. vj.

sem. synapi, rad. ellebori albi an. dragm. ij.

fermenti acidi dragm. iiij.

aceti scillit. q. s. misce f. massa; de qua portiones, linteis illitæ, brachiis, femoribus, & tibiis apponantur, ibique diutius relinquuntur: Ulceraque excitata emplastro diachylo diu aperta serventur.

Interim, corpore evacuato, de Palmarii celebratissimo hoc antidoto justa dosis ab ægro quotidie est sumenda:

R. fol. rutæ, verbenæ, salviæ, plantaginis,

polypod., absinthii vulg., artemisiæ,

menthæ, melissophyll., betonicæ,

hyperici, centaurei minor. an. m. j.

Hæc omnia, justo tempore collecta & exsiccata, redigantur in pulverem subtilem: de quo exhibeantur ægro, cum lactaro, dragmæ tres, mane jejuno ventriculo, & tantundem à prandio circa horam quartam vel quintam pomeridianam. Vel, si per os recipere recuset, duplum mane & vesperi cum apto & sufficienti liquore injiciatur per anum.

Magnopore etiam in hoc affectu commendatur pulvis factus  
evul-



evulgaribus, serpentibus capite & cauda truncatis, evisceratis, cute nudatis, & in olla vitriata super lento igni, perpetuo agitando, exsiccat. Hujus pulveris sumatur mane à jejuno quotidie dragma una, cum syr. de limonibus, in pilulas redacta; & similis dosis circa vesperam reiteretur.

Utilissimum quoque, est antidotum illud illustre Æschionis, ex cancerorum cineribus, gentiana, & thure paratum, & duorum cochlearium quantitate quotidie bis exhibitum.

Celsus unicum ait hydrophobiâ oppressis remedium esse, non opinantem ægrum in piscinam, non ante ei prævisam, projicere, ac, si natandi peritiam non habeat, modo mersum bibere pati, modo attollere; si habet, interdum deprimere, ut invitus aqua satiatur. Potest itaque etiam hoc remedium in ægro nostro tentari, & ne frigus aquæ ipsi noceat, poterit loco piscinæ, in magnum balneum, aqua tepida plenum, eo modo, quo præscribit Celsus, immergi.

## XII.

In *Victus ratione*, aër sit temperatus. Potus sit cerevisia tenuis; ad cujus usum omni ratione est agendus. Cibus sit humectans & refrigerans, ex jusculis vel carnibus cancerorum, vervecum, & pullorum gallinaceorum, asparagis, acetosa, endivia, & cichorio alteratis & parce exhibitis. Somnus omni studio promovendus. Affectus animum perturbantes fugiendi, omnibus ad gratiam ægri, quoad licet, comparatis,

---

COROL

## COROLLARIA.

1. Spiritus vere nutriuntur.
2. Semen mulieris etiam efficaciter concurrit ad hominis generationem.
3. Semen excretum non vivit.
4. Plura sunt membra principalia in corpore, quam unum.
5. Sensus differt ab imaginatione.
6. Sensus interni non differunt locis.
7. Potest aliquid sentiri sine medio.
8. Dilatatio & constrictio cordis, sunt vera actiones.
9. Omnis inequalitas pulsus, non fit ex vitio instrumentorū.
10. Datur pulsus amatorius.
11. Vina certo non potest significare mulierem utero gerere.
12. Imaginatio valet & morbum parere, & tollere.
13. Ira aliquem interimere potest.
14. Per tuenda valetudinis artem potest mors evitari.
15. Utendum est venere cibo cocto, non autem crudo.
16. Aegrotates possunt etiam refici per aliam viam, quā per os.
17. Non licet alicui sanitatis causa semel in mense inebriari.
18. Pulmonis ulcera interdum sunt sanabilia.
19. Argentum vivum curat morbum gallicum.
20. Mulierem utero gerentem purgare licet.
21. Mulieri enixa aliquādo convenit medicamentū evacuans.
22. Faeces generantur & in ventriculo et intestinis.
23. Non fit motus, ne detur vacuum.
24. Licet aliquando emittere sanguinem usque ad animi deliquium

F I N I S.


00 A 6396

ULB Halle 3  
002 928 167



*St*





LARIA.

imi nequit.

s animalium, etiam quam maximè

bile est fatum esse sanum.

e, vel massa sanguinea, alitur.

re impossibile est.

um thoracis movetur.

t.  
dormire conceditur.

r medicamenta assumpta, frangi non

qu

aru

nae

lam

è et

N



MEDICATIO ADOLESCENTIS,

à

Rabidi Canis Morsu

HYDROPHOBI:

QUAM

Deo Opt. Max. auxiliante,

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO

D. HENRICO REGIO,

Reip. Ultrajectinæ Poliatro, & Medicinæ  
ac Botanices Professore Ordinario,

*Publico examini subicit*

CORNELIUS BEEST, Ultraject.

*Ad diem. 9. Julij, horâ 9. matutinâ.*



Naturâ & Industriâ.

TRAJECTI ad RHENUM,

Apud PETRUM DANIELIS SLOOT,

ANNO M. DC. XLV.